

sum omicid[i]um per duellum illi probare, tunc comune Tergesti fatiat fieri ipsum duellum suis expensis contra principalem. Et si homicida comprehensus fuerit et convictus de dicto omicidio, testari possit de bonis suis prout sibi placuerit, ipso
5 homicida nichilominus decapitando³⁾ occasione eiusdem // omi- 121 A
cidii. ¶ Si vero comprehendi non poterit in persona, sit perpetuo banitus a civitate et districtu Tergesti pena capitali, et si quo tempore veniret in forciam comunis, quod ei amputetur caput taliter quod moriatur; et bona ipsius omicide qui comprehendi
10 non posset deveniant et devenire debeant filiis et filiabus ipsius omicide, si filios vel filias habuerit, et si non haberet filios vel filias, tunc bona predicta veniant propinquiori ipsius omicide unde bona pervenerint, qui sint cives et habitant[es] civitatis Tergesti, et talis omicida sic banitus in perpetuo ha[bea]-
15 tur et reputetur pro mortuo in civitate et districtu Tergesti, et uxor ipsius omicide baniti petere possit dotes suas et bona sibi pertinentia, et per dominium Tergesti fiat eidem uxori ius de predictis, quemadmodum contra unum mortuum fieret in predictis. Et si talis omicida filios vel filias seu propinquos
20 suos non habuerit in civitate Tergesti, ut supra dictum est, tunc omnia eius bona veniant in comuni, et nichilominus si capi poterit puniatur pena capitali. ¶ Et quod potestas vel vicarius loco potestatis iudices vel rectores civitatis Tergesti nullo modo ponere possint ad maius consilium Tergesti de aliquo omi-
25 cida, quod possit venire in civitate Tergesti vel eius districtu, sub pena libr. quingentarum par. pro quolibet potestate vicario iudice vel rectore cancellario vel camarario comunis civitatis Tergesti, et nichil- // ominis id quod proponeretur et captum 121 B
esset in dicto maiori consilio sit cassum vanum et nullius
30 valoris. ¶ Preterea vero, si quis civium nostrorum vel quolibet alia persona vulneraverit vel percusserit aliquem civem Tergesti, taliter quod obtruncet membrum aliquod de infrascriptis a corpore, perdat consimile membrum, si capi poterit, et si non poterit, componat comuni libr. ducentas par. de bonis suis in-
35 continenti, si bona habuerit, et nichilominus sit perpetuo ba-

³⁾ decapitante. Statuti 1365: decapitando.